

tum primum petitem, quam jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit, illud jam in iudicium venit, non, occisus ne sit, quod fatemur; sed iure, an iniuria, quod multis antea in causis jam quaesitum est. Insidias factas esse, constat: et id est, quod senatus contra rempublicam factum iudicavit. Ab utro factae sint, incertum est. De hoc igitur latum est, ut quaeretur. Ita et senatus rem, non hominem, notavit: et Pompejus de iure, non de facto, quaestionem tulit. Num quid igitur aliud in iudicium venit, nisi, uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune: si ille huic, tum nos scelere solvamur.

XII. Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, cui bono fuerit, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequatur, non modo ut praetor esset, non eorū consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam ut his consulibus praetor esset, quibus si non adjuvantibus, at conniventibus certe, sperasset, se posse rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus: cujus illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si reprimere possent, cuperent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: et, si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam. An vero, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces urbis, et pestes reipublicae) fuerit impositurus nobis omnibus, atque iniustus? Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legumstrarum, quod te ajunt eripuisse e domo, et